

qvæst. 2. pag. 192. ex his ipsis Pauli & Petri dictis probat, putidissimam esse assertionem eorum, qui dicunt, ita Deum excœcare Judæos, Turcas & Gentiles, ut, licet velint, non tamen possint Christum cognoscere.

### *Thesis V.*

Deindè sententiam nostram probant dicta, quæ omnia peccata sanguine Christi expiari posse asserunt, è quibus unicum nunc adduxisse sufficiat ex 1. Joh. I. v. 7. quod dictum *D. Joh. Olearius* in dissertatione ante aliquot annos hîc Lipsiæ habita explicans thes. 19. observat, sanguinem Christi non solum à peccatis, quibus nondum induratio accessit, homines emundare, sed etiam à peccatis cum induratione conjunctis. Ac ne quis excipiat, quod fortè tantum de induratione, quam aliqui partialem & inchoatam vocant, locutus fuerit, in eadem thesi docet, quod sanguis Christi non solum à peccato in filium hominis, sed etiam à peccato in Spiritum sanctum emundet. Hoc enim peccatum irremissibile esse dicit, non ob defectum sanguinis emundatorii, sed ob malitosum affectum peccatorum hujusmodi, qui sanguinem Christi profanum ducunt. In culpa est, inquit, pes Christum finaliter conculcans, cujus vice manus fideliter applicans requirebatur. Concedit ergò, non deesse peccatoribus in Spiritum Sanctum manum Dei offerentem, sed ex parte talium hominum deesse manum fideliter applicantem, cujus vice pedem adhibent, quo Christi sanguinem conculcant. Undè ex Olearii sententia dici non potest, quod peccatores in Spiritum Sanctum ob Terminum peremptorium ante fata fixum & jam elapsum

con-